

cidisse, vel a iudaeis erasam fuisse. Confirmatur haec responsio etiam ex eo, quia nonnulli *Ieremiae* loci pariter in L. II Machab. cap. 2, v. 1, leguntur, quos in prophetia *Ieremiae* non habemus: item teste *Origene*, et *Hieronymo* liber aliquis *Ieremiae* olim fuit, qui tamen vel ob nonnullas depravationes, vel ambiguas narrationes, quas iudaei forte, in quorum is manibus erat, addiderant (ut *Serarius* loc. cit. suspicatur), apocryphus habebatur. Accedit, quod multa olim servata fuerint apud hominum memoriam gesta dictaque prophetarum, extra illorum libros, testibus *Iosepho* (1), et vitis prophetarum a *pseudo-Epiphania* et *Dorotheo* conscriptis; prout *Calmetus* (2) testatur. Igitur licet illa prophetia, de qua *s. Matthaeus* cap. 27, v. 9, ait: *Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appetiati etc.* de facto in *Ieremiae* libro non extet, non sequitur, eam non esse prophetiam *Ieremiae*.

SECUNDA, et quidem complurium sententia est eorum, qui nomen *Ieremiae* in citato loco *Matthaei* incuria librariorum irrepsisse, arbitrantur. Ita teste *Tirino* (3) censent *s. Hieronymus*, *Rupertus*, *Liranus*, *Iansenius*, *Franc. Lucas*, *Baronius*, *Maldonatus*, *Suarez*, cuius ultimi verba (4) sunt haec: *Sed illud verisimilius videtur, evangelistam (Matthaeum) non posuisse nomen Ieremiae, sed simpliciter nomen prophetae: ab aliquo autem additum nomen Ieremiae in margine, postea irre-*

(1) Lib. 5 de bello iudaico, c. 5 in latino, seu l. 4, cap. xβ in graeco.

(2) Loc. cit.

(3) Comment. in Matth. c. 27, v. 9.

(4) In 5 part. tom. 2, disput. 54, sect. 1, in fine.

(5) Loc. cit.

(6) In nota ad Matth. c. 27, v. 9 in germanicis bibliis addita

*psisse in textum in aliquibus codicibus; non enim in omnibus habetur.* Et revera sunt graeci codices, latini, syriaci, arabici, persici, in quibus nomen *Ieremiae* cit. loc. *Matthaei* minime legitur; prout testatur *Calmetus* (5) citans var. lect. *Mill.* etc. Confirmatur 2 haec sententia etiam ex eo, quia *Matthaeus* saepe non exprimit nomina prophetarum, quos citat; ut patet *Matth.* cap. 1, v. 22, cap. 2, v. 23, et ex aliis huius evangelistae locis. Porro eandem sententiam etiam non pauci ex recentioribus tenent, nominatim *Ignat. Weitenauer* (6) *Nonnotte* (7), et *Bullet* (8), qui eandem fuisse defendit.

Ad 4. R. et dico, citatum *s. Marci* testimonium partim ex *Isaia*, partim ex *Malachia* depromptum esse, ac absque omni falsitate *Isaiam* et quidem solum a *s. Marco* loc. cit. nominari potuisse. Verba enim laudati evangelistae loc. cit. sunt haec: « Sicut scriptum est in *Isaia* propheta: ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facile semitas eius. » In quo textu verba ista: *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te*, scripta sunt in *Malachia* (9); Verba autem sequentia: *Vox clamantis in deserto* etc. extant in *Isaia* (10). Nihilominus *s. Marcus* unius tantum *Isaiae* nomen exprimit, utpote vetustioris, et altero (nempe *Malachia*) celebrioris. Porro ut *Cornelius a Lap.* (11) recte observat, idem reapse

(7) In Diction. philos. de la religion, p. 1, voce: *Evangile* in solutione objectionum adversus veritatem evang. § 4.

(8) Réponses critiques, tom. 4, n. 27.

(9) Cap. 3, v. 1.

(10) Cap. 40, v. 3.

(11) Comment. in Marc. c. 1, v. 5.

hoc loco dicit *Malachias* cum eo, quod dicit *Isaias*. Nam angelus missus a Deo ad praeparandam viam Christo non alius fuit, quam *Ioannes* voce sua clamans, praedicansque poenitentiam, quae corda hominum praepararet ad Christi praedicationem et gratiam. Est ergo hoc unum duorum prophetarum idemque oraculum, uno eodemque sensu de uno eodemque *Ioanne* prolatum, licet aliis et aliis verbis, quae se mutuo confirmant et explicant, atque in *Isaiae* oraculo reipsa continetur oraculum *Malachiae*: quod enim praedixit *Malachias*, idem clarius et pressius aliis verbis praedixit *Isaias*. Haec igitur est causa, cur *s. Marcus*, dum duorum prophetarum duas sententias citat, quasi unum idemque testimonium citet, et quidem sub uno nomine *Isaiae*.

190. QUÆRES II. *Num verisimile sit, tempore Christi in terra ambulantis tot energumenos in Iudaea datos fuisse, quot ab evangelistis narrantur?* II. *Vel, si dati sunt, vere fuisse possessos a daemone, et non potius morbo aliquo epilepsiae, aut insaniae cuiusdam specie, aut melancholiae vitio, vel anxietate peccaminosae conscientiae afflictos, praesertim, quia aliunde constat, morbos a iudaeis olim nomine DAEMONIORUM fuisse appellatos?* R. AD PRIMUM contra deistas, et dico, id omnino verisimile esse. Nam speciales erant rationes, cur tempore Christi tot energumeni dati fuerint, praesertim in Iudaea. A pluribus enim iam saeculis usurpaverant sibi daemones in universo terrarum orbe tenebris idololatriae immerso cultum soli Deo debitum, seque mundi ac naturae dominos ferebant. Venerat au-

(1) Matth. c. 22, v. 29, et seqq.

(2) Vide Matth. c. 4, v. 24. Et c. 8, v. 16. Et c. 9, v. 52 et 53. Marc. c. 5, v. 2 et seq. Luc. c. 4, v. 53 et seq.

tem Deus-homo ad destruendum diaboli imperium, et vindicandum Deo vero cultum orbis; oportuit proin hominibus patefacere, quam improbis et miseris tamdiu dominis servierint, eumque ad finem daemonibus permittente, ut crudelitate in homines dirissimis modis exercere potuerint; ubi tamen experiri simul reprobi hi spiritus debuerunt, verum Dominum ac iudicem sibi nunc instare, qui solo nutu et imperio eorum fastum comprimere, eosque usurpato tamdiu dominatu exue, et pro libitu e corporibus hominum expellere, ac quo vellet, ablegare posset. Quilibet proin energumenus ad Christum adductus et ab hoc liberatus, in luculentam tanti dogmatis confirmationem valebat.

Praeterea hac ratione adstruebatur fides contra incredulos, qui spiritus et angelos negabant, quales tempore Christi in synagoga erant Sadducaei, abominabilis illa, et generi humano prae aliis exitialis secta. Hanc, cum omnes spiritus sive bonos, sive malos inficiaretur, Servator non solum verbis (1), sed etiam factis ipsis, daemones ex multis energumenis (2) expellendo, refellendam sumpsit.

Ad 2. R. et dico, energumenos, de quibus in evangelio mentio fit, non tantum morbo aliquo, aut vitio melancholiae etc., laborasse, sed vere fuisse a daemone obsessos, evincunt verba evangeliorum, et tota harum narrationum series. Talia quippe haec sunt, quae vera et realia daemonia postulant. Christus enim adlocutus est daemones; interrogavit, quodnam nomen (3) haberent; imperavit, ut exirent ab homine; concessit, ut abirent in porcos (4), quod etiam factum legitur. Aut an fortassis morbi horum

(5) Marc. c. 5, v. 9.

(4) Ibid. v. 15.

hominum in porcos irruerunt, eosque in stagnum praecipitaverunt? Dein, quando principes pharisaeorum de Iesu dixerunt, quod *in principe daemoniorum* (1) eiiciat *daemones*, numquid dicere voluerunt, quod in principe morborum ab hominibus morbos eiiciat? En in quantas absurditates et deliria insana patribus, et obvio s. Scripturae sensui contradicendi libido incredulos abripiat.

191. Verum INSTANT, et OPPONUNT I. Quando Christus cum Geraseño (2) egit tanquam cum homine qui habet daemonium, a quo eius nomen petiit, quod dixit esse *legionem*: quando iussit, idem daemonium ab eo exire, eidemque permisit in gregem porcorum, qui ibidem erat, intrare: haec omnia considerari possunt tanquam medicina delirantis imaginationis illius Geraseni, quam Christus ipsi adhibuit; nam cum stultis et melancholicis non raro teste *Borello* (3) profuit, si alius vel alii fingeant, se habere pro veris eorum deliramenta. Itaque Christus imperans imaginariis daemoniis egressum, persuasit Geraseno illi homini, ea abiisse per subitam illius gregis in mare praecipitationem, quam ipse Christus vel directe effecit, vel mediante translatione delirii eius hominis in gregem porcorum.

(1) Matth. c. 9, v. 34.

(2) Marc. c. 5, v. 2, et seqq.

(3) Hist. Cent. 5, Observ. 19.

(4) De daem. c. 23 et seq.

(5) Ad ann. 1566 de conversione *Florimundi Remondi*.

(6) Excursion I in l. II Machab. c. 8, v. 19.

(7) In gallico libello Aquis Sextiis edito anno 1614. *De signis magorum et vera possessione humanorum corporum per daemones*, diss. 2, pag. 42.

(8) Doct. de mirac. c. 2.

(9) In dissertatione de *obsidentibus et possidentibus corpora daemonibus*.

¶. Absit haec interpretatio, quae sensum obvium et a patribus receptissimum s. Scripturae contemnens, veritati evangeliorum officit, et fictionem tribuit Domino, et novum fingit prodigium, ut illud, quod evangelium narrat, excludat, non alia de causa quam ad tuendum hoc placitum, non dari vere energumenos, quod non solum est contra sacras literas acceptas in sensu obvio, sicuti debent, quando nihil obstat, sicut hic nihil obstat; sed etiam contra manifestam experientiam: prout variis exemplis invicte ostendunt *Thyraeus* (4), *Spondanus* (5), *Fullonius* (6), *Jacob Fontaine* (7), *Hayus* (8), *Augustinus Calmet* (9), *Colletus* (10), *Theophylus Raynaudus* (11), *Ioseph Benvenutus* (12), *Jacob*, *Ioseph Duquet* (13), *Benedictus XIV* (14), *Martinus Gerbert* (15), pluresque alii.

192. OPPON. II. Sola evangelia exhibent ingentem daemoniacorum numerum inter hebraeos; historiae autem ethnicorum nihil simile habent: sed haec conciliari non possunt, nisi revocando daemoniacos evangeliorum ad insanos et epilepticos etc. ¶. I. Nego mai. Nam daemones possidentes dici possunt ethnicorum *furiae*, quibus tam graeci, qui eas appellabant *Eumenides*, quam romani, putabant aliquos fuisse correptos. Unde ad effugiendam

(10) Tom. 2 tractat. de religione.

(11) In libro, cui titulus: *Angelus malus hominem colaphizans*, laudato a Benedicto XIV, l. 4 de beatificat. p. 4, c. 29, n. 5.

(12) In dissertat. Lucae edita anno 1775 apud ephemerides literarias romanas an. 1776, art. *Lucca*.

(13) In gallica dissertat. sur les exorcismes.

(14) L. 4 De beatif. et canonizatione Ss., part. 4, c. 29.

(15) Part. 2 *Liturgiae veteris Aemaniae*, disquisitione 7 de energumenis eorumque exorcismis.

earum invasionem athenienses teste *Cicerone* (1) fanum, et romani lucum in Latio, qui *Furinae* dicebatur, consecraverunt. Hos pariter daemones dicam significatos a latinis per *larvatos*, et *larvarum plenos*, apud quos larvae erant mali spiritus; per *cerritos* et *lunaticos*, quasi a *Cerere* vel *Diana* agitados; item per *pythones* et *pythias*, a quibus oracula per inspirationem mali daemonii sub nomine *Apollinis*, vel *Latonae*, vel alterius ex innumeris paganorum diis fundebantur.

¶. II. Omitto mai. et neg. min. Nam dato apud ethnicos non fuisse tantam daemoniacorum multitudinem quanta apud hebraeos quando Christus iam advenit; ratio in promptu est, quia, ut supra (2) observavimus, volebat Dominus ut omnes agnoscerent se esse potentiores omnibus daemoniis utpote verum Deum, sicque fortiter et suaviter obtineret excidium idololatriae, ceu diabolici supra terram regni.

193. OPPON. III. Qui daemoniacos admittunt faciunt Deum auctorem vel saltem consortem daemonis in obsessionibus hominum; nam daemones non possunt agere in hominum humores et organa, nisi impetrata in eam rem a Deo facultate: ergo qui daemoniacos admittunt sunt in Deum contumeliosi. Sic aliqui apud *Calmetum*, sed prorsus inepte, obiiciunt. Nam ¶. I. et quaero ex ipsis: an Deus factus sit auctor vel saltem consors daemonis in affligendo s. *Iob*, dum *Satanas*, obtenta a Deo facultate, *percussit Iob ulcere pessimo* (3)? ¶. II. Neg. mai. Nam qui daemoniacos admittunt en asserunt Deum inire foedus aut

(1) Lib. 5 de Nat. Deor.

(2) Num. 190.

(3) Iob. c. 2, v. 7.

(4) Certitude des preuves du christianisme, part. 4, chap. 5.

pactum cum daemone, nec faciunt Deum auctorem aut consortem malitiae daemonis in torquendis energumenis; quia Deus istam malitiam non intendit aut approbat, sed solum permittit et quidem ex sapientissimis finibus, ex. gr. ad exercendam hominum virtutem et patientiam, vel ad puniendos peccatores. Ceterum virtutem agendi in organa et corpora hominum daemones iam ex natura sua habent et habuerunt ante lapsum suum seu antequam facti sunt daemones: Deus autem, ut dixi, ex sapientissimis finibus solum permittit, ut hanc suam naturalem vim exercere possint, sicut eam exercent in torquendis in inferno damnatis. In hoc autem nihil apparet, neque est, quod sit Deo indignum aut ei contumeliosum.

SCHOLION. Plura de energumenis, praesertim tempore Christi in terra ambulantis et primorum christianorum, reperies contra incredulos solide et erudite scripta apud *Bergier* (4), *Feller* (5), et *Spagnium Florentinum* (6), quorum ultimus etiam illorum obiectiones solvit, qui Christum opera diaboli, aut mediis dumtaxat *naturalibus*, et non virtute divina daemones expulisse ex corporibus obsessorum blasphemant.

194. QUÆRES III. *Quis fuerit ille ZACHARIAS FILIUS BARACHIAE, quem Christus* (Matth. 23, v. 35), *ait fuisse occisum inter templum et altare?* Antequam respondeam observo, quod impius auctor *manualis Lexici philosoph.* (7) hac de re disserens, s. evangelistam *Matthaeum* velut impostorem aut hominem stupidum proponat, qui Christo effatum illud

(5) In catéchisme philosoph. part. 2, c. 3, § 4.

(6) De miraculis tom. 2, c. 6, n. 4161-4185.

velut de re iam praeterita affinxerit, quae tamen primum post 40 annos a morte Christi elapsos contigit. Nam auctor ille loc. cit. ita pronuntiat: *Viri docti* (in hoc Christi effato Matth. 23, v. 35), *difficultatem inveniunt. In historia enim hebraeorum nullus reperitur Zacharias, qui ante adventum* (Christi) *aut huius tempore in templo occisus fuerit. Sed in historia obsidionis Hierosolymae apud Iosephum invenitur Zacharias filius Barachiae, qui in medio templi interfectus est. Inde docti suspicantur s. Matthaeum non nisi post expugnatam a Tito Hierosolymam evangelium scripsisse.*

Verum R. et dico, doctos illos viros, quorum mentionem modo citatus auctor facit, aut esse confictos, aut certe (si qui sunt) non esse vere doctos, sed nimium quantum errasse. Nam *Zacharias filius Barachiae*, de quo Christus (Matth. 23, v. 35) loquitur, non est ille *Zacharias*, qui paulo ante excidium Hierosolymae per romanos a zelotis interfectus legitur. Hic enim teste *Iosepho* (1) in medio templi occisus est: ille autem inter *templum et altare*, ut Christus loc. cit. expresse ait. Dein etiamsi non pauci ex recentioribus interpretibus contendunt, et horum sententiam etiam *Calmetus* amplectatur (2), videlicet *Zachariam* a Christo loc. cit. commemoratum esse illum ipsum, de quo *Iosephus* loc. cit. mentionem facit: non tamen ideo necesse est dicere, s. *Matthaeum* aliquid falsi Christo affinxisse: sed, ut *Calmetus* (3) ait, Christus spiritu prophetico locutus est, ita ut ventura praedixerit, et

(1) De Bello Iudaico, l. 5, cap. 1.

(2) Comment. in Matth. c. 23, v. 35. Item in suo dictionario bibl. v. *Zacharias*.

(3) Comment. in cit. loc. *Matthaei*.

(4) Ibid.

praeteritum pro futuro ponens, pium illum virum interfectum iri vaticinatus sit.

At verior certiorque, ut *Cornelius a Lap.* (4) inquit, est sententia, *Zachariam* a Christo Matth. 23, v. 35, laudatum fuisse *filium Ioiadae* pontificis, qui a *Ioas* rege ingrato (5) occisus est immani sacrilegio in atrio sacerdotum, quod erat inter templum, sive sanctum, et altare holocaustorum (6). Ita s. *Hieronymus*, *Beda*, et passim alii cum *Abulensi*, *Cornelio a Lap.* et *Maldonato*.

195. DICES I. *Zacharias* hic fuit *filius Ioiadae* non *Barachiae*. R. I. In hebraico s. *Matthaei* evangelio, quo nazaraei utebantur, loc. cit. nomen *Ioiadas* pro *Barachia* fuit; prout s. *Hieronymus* (7) his verbis testatur: *In evangelio, quo utuntur nazarenii, pro filio Barachiae filius Ioiadae reperimus scriptum.* II. Idem s. pater (8) respondet *Ioiadam* alio nomine dictum fuisse *Barachiam* id est, *benedictum Domini*. Nam usitatum apud iudaeos fuit, unam eandemque personam duobus nominibus nuncupari; quorum exempla in Scripturis passim occurrunt, praesertim, si ambo nomina reapse idem significant, aut quandam inter se similitudinem habeant: prout cl. *Bullet* (9) pluribus exemplis demonstrat. Quare idem vir *Barachiae* et *Ioiadae* nomina obtinere potuit, praesertim quia *Barachias* significat *benedictus Domini*, et *Ioiada* a voce hebraea *iadad*, *dilectus*, significat *dilectus Domini*, adeoque reipsa idem: uti cl. *Bullet* loc. cit. observat. Adde, quod *Ioiadas*, cum fuerit

(5) II. Par. 24, v. 21 et 22.

(6) Ibidem, v. 21.

(7) Comment. in Matth. c. 23, v. 35.

(8) Ibidem.

(9) Réponses critiques, tom. 1, n. 55.

vir sanctissimus, aptissime etiam dici potuerit *Barachias*, seu *benedictus Domini*.

DICES II. *Zacharias Barachiae* filius a Christo cit. loc. Matth. innuitur tanquam iustorum postremus, qui a iudaeis interfectus est; quemadmodum *Abel* primus est sanctorum, violenta morte sublatus. Hoc enim sibi volunt haec Christi (1) verba: *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes... et ex illis occiditis et crucifigitis... ut veniat super vos omnis sanguis iustus a sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare;* atqui *Zacharias Ioiadae filius* non fuit postremus iustorum a iudaeis interfectorum; post hunc enim multi alii innocentes occisi sunt, ut patet ex eo, quia rex *Manasses* (2) *sanguinem innoxium fudit multum nimis*, et praeter alios interfectos, etiam prophetam *Isaiam* (ut fertur) lignea serra dissecari iussit: ergo *Zacharias filius Barachiae*, de quo Christus loc. cit. Matth. loquitur, non est *Zacharias filius Ioiadae*, quem rex *Ioas* occidi iussit; sed vel *Zacharias*, quem *Iosephus* tempore obsidionis Hierosolymae occisum memorat, vel, ut alii volunt, *Zacharias* ille, qui inter duodecim prophetas minores est penultimus, vel denique *Zacharias pater Ioannis Baptistae*.

Respondet ad hanc obiectionem *Salmeron* (3) et ait, ideo cit. loc. Matth. horum duorum (*Abelis* et

(1) Matth. c. 23, v. 34 et 35.

(2) IV. Reg. c. 24, v. 16.

(3) Tom. 4 Comment. in evang. histor. p. 5, tractat. 17, pag. 525, edit. colon. an. 1602.

(4) Licet *Cain*, qui fratrem *Abel* occidit, non fuerit iudaeus gente et genere; fuit tamen iudaeus malitia et malae vitae exemplo. Occidendo enim iustum *Abel*, dedit exemplum iudaeis ad hoc sequen-

*Zachariae filii Barachiae*, id est *Ioiadae*) mentionem fieri, quia sunt primus et ultimus in s. Scriptura nominatim pro religione a iudaeis (4) interfecti; cum eorum, qui post hunc *Zachariam* a *Manasse* iniuste occisi sunt, Scriptura loc. cit. tantum generatim meminerit. Accedit alia ratio, cur Christus *Zachariae filii Ioiadae* prae aliis innocenter occisis specialem mentionem faciat. Nam *Zacharias* ille, cum moreretur (5) ait: *Videat Dominus et requirat*, hoc est, videat Deus quam inique mecum agatis, et effusi sanguinis mei ultionem ac poenam repositat; ad quae verba Christus apud s. *Lucam* (6) (ubi idem, quod Matth. 23, v. 35, dicitur, habetur) clare alludit, ad iudaeos dicens: *Ut inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista (iudaeorum) a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariae, qui perit inter altare et aedem. Ita, dico vobis, requiretur ab hac generatione.*

DICES III. Iudaei, quos tunc alloquebatur Christus, non occiderunt illum *Zachariam* aut prophetas, qui a constitutione mundi usque ad eundem interfecti sunt; ergo a generatione illa iudaeorum non potuit omnis sanguis iustus prophetarum requiri. R. cum *Salmerone* (7), et aliis interpretibus, Christum locutum esse de iudaeis sui temporis, tanquam iis, qui unus erant cum patribus suis populus.

dum propensissimis, ut simili modo occiderent iustos prophetas. Sic ergo *Cain* fratericida, non quidem naturalis sed moralis et symbolicus fuit pater iudaeorum, suos fratres, scilicet Christum et prophetas occidentium. Ita *Cornelius a Lapide*, comment. in Matth. c. 23, v. 35.

(5) II Paral. c. 24, v. 22.

(6) Luc. c. 11, v. 50 et 51.

(7) Loc. cit.

Ideo apud *Matthaeum* (1) de *Zacharia* iam saepius a nobis memorato ad iudaeos ait: *quem occidistis inter templum et altare*. Occidistis, inquit, non in vestra persona, sed in persona patrum vestrorum. A iudaeis ergo, aut potius a generatione iudaeorum, quae fuit tempore Christi et apostolorum, tanquam consummatrice peccatorum parentum suorum, et tanquam una generatione cum parentibus praecedentibus requisita est ultio sanguinis Christi et omnium prophetarum, quando per *Titum* et *Vespasianum* succensa est civitas Ierusalem et templum excisum, et gens iudaeorum terribili excidio perditam et reprobata.

Si porro quaeras: Quomodo filii patiantur pro delicto parentum; cum tamen Deuteron. cap. 24, scriptum sit, non morituros filios pro patribus? R. et dico: Quia consentiunt paterno delicto, et adhuc affirmant, *Iesum Nazarenum* iure occisum; ideo peccatum ipsorum manet. Vide s. Scriptur. contra incredulos propugnat., V. T., part. VI, sect. II, cap. 3, num. 110.

196. SCHOLION. Circa praesentem quaestionem: *Quisnam fuerit ille Zacharias filius Barachiae, qui occisus est inter templum et altare*, est triplex potissimum sententia, quarum quaelibet, ut *Tirinus* (2) ait, probabilis est. PRIMA et communior est nostra, *Zachariam* illum asserens esse *filium Ioiadae*, quem rex *Ioas* interfici iussit. SECUNDA est s. *Chrysostomi*, *Vatabli*, *Ariae Montani*, *Gasparis Sanchez*, *Riberae*, *Bollandistarum* (3), et *Ignatii Weitauer* (4), et *Caesaris Calino* (5), qui contendunt, *Zachariam* illum esse eum, qui inter duodecim pro-

(1) Matth. 23, v. 35.

(2) Comment. in Matth. c. 23, v. 35.

(3) Ad diem 6 septembris de s. Zachar.

(4) In nota versionis suae germanicae bi-

phetas minores est penultimus. TERTIA est *Epiphania*, *Basili*, *Petri Alex.*, *Theophylact.*, *Dionysii Carthus.*, *Chrystoph. a Castro*, etc., qui censent *Zachariam* illum esse patrem *Ioannis Baptistae*, quem tradunt occisum esse a iudaeis eoquod Christi praedicavit adventum. His tribus sententiis a quibusdam recentioribus superaddita est QUARTA, quam etiam *Calmetus* approbat et sequitur, quaeque defendit, a Christo apud *Matthaeum* cit. loc. designatum fuisse *Zachariam filium Baruch*, quem *Iosephus* cit. loc. narrat paullo ante excidium Hierosolymae per romanos a zelotis fuisse occisum. Verum hanc sententiam iam supra (6) impugnavimus. Caeterum quaecumque ex his quatuor sententiis teneatur, nunquam increduli s. *Matthaeum* falsitatis aut erroris iure incusare poterunt; ut ex num. 198, et omnibus hac quaestione dictis sapiens lector facile perspiciet, de qua praeter alios etiam cl. *Bullet* loc. cit. fuse disserit.

197. QUERES IV. *Quid respondendum incredulis, qui sequentes Christi praedictiones in evangelio contentas falsas esse blasphemant: 1. Dum Christus (Matth. 17, v. 19) ait: AMEN QUIPPE DICO VOBIS, SI HABUERITIS FIDEM SICUT GRANUM SINAPIS, DICETIS MONTI HUIC: TRANSI HINC ILLUC, ET TRANSIBIT. 2. Dum (Ioan. 11, v. 26) ait: QUI... CREDIT IN ME NON MORIETUR IN AETERNUM. 3. Dum (Matth. 16, v. 28) ait: SUNT QUIDAM DE HIC STANTIBUS, QUI NON GUSTABUNT MORTEM DONEC VIDEANT FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN REGNO SUO. 4. Dum (Luc. 19, v. 44) civitati Ierusalem excidium praedi-*

bliorum Matth. c. 21, v. 35, adiecta. Item in praefatione ad *Zachariam* prophetam.

(5) In historia vet. testam. p. 6, c. 15.

(6) Num. 194.

*cens, ait: NON RELINQUENT HOSTES LAPIDEM SUPER LAPIDEM?*

R. Cum Christus manifestis signis (1) se esse *verum Deum*, et multis praedictionibus rerum omni naturali sagacitate superiorum re ipsa impletis (2) se esse *verum prophetam* demonstraverit, increduli, si sanam rationem sequi vellent, etiam illas, quas falsas esse blasphemant Christi praedictiones tanquam veras (non obstantibus quibusdam dumtaxat apparentibus difficultatibus) venerari, iisque fidem adhibere deberent. Dixi: *non obstantibus DUMTAXAT APPARENTIBUS difficultatibus*.

Nam AD PRIMUM dico, illam Christi praedictionem non solum esse veram, sed etiam exemplo non uno tantum eius veritatem esse comprobata. Dixerat quidem quondam teste cl. *Bullet* (3) aliquis incredulus: « Si illa Christi praedictio (Matth. 17, v. 19) vera est, sequitur, hactenus nullum christianorum, ne quidem exceptis apostolis, datum fuisse, qui habuerit *fidem, sicut granum sinapis*; nam hucusque nemo per suam fidem montem transulit. » Verum recte illi respondet laudatus auctor loc. cit. ipsum falli in rebus historicis, et contrarium patere ex sequentibus exemplis. Nam I. s. *Gregorius*, qui ob singularem gratiam, quam obtinuit, patranda miracula nomen *thaumaturgi*, id est, miraculorum opificis accepit,

(1) Vide supra n. 50 et seq.

(2) Sic Christus Marc. c. 15, v. 9 et seq. discipulis suis clare praedixit, quantae persecutiones propter praedicationem evangelii ipsis sustinendae forent: *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante praesides et reges stabitis propter me, in testimonium illis*. Quae omnia impleta esse, nemo nisi historiae omnino ignarus negat; praedixit distincte excidium Hierosolymae per romanos Luc. c. 19, v. 43 et 44: *Quia venient dies in te,*

translato per fidem suam ingenti saxo ethnicum antistitem ad christianam fidem amplectendam permovit; prout s. *Gregorius Nysseus* (4) testatur his verbis: « Ibi vero id, quod omnium maxime dictu incredibile est, magnum illud fecisse magnus ille (*Gregorius*) dicitur miraculum. Cum enim postularet antistes (seu sacerdos ethnicus), ut saxum quoddam ingens, quod oculis eorum subiectum prospiceretur, nullaque adhibita vi dimoveri posset, absque manu humana moveretur, ac per solam fidei virtutem, iussu *Gregorii*, ab illo loco ad alterum transferretur; nulla interiecta mora magnus ille statim impetrasse dicitur saxo, tanquam animato, ut transiret ad illum locum quem designasset, quo facto, extemplo credidisse sermoni dicitur antistes: ac relictis omnibus, cognatione, familia, uxore, liberis, sacerdotio (ethnico), sede, possessionibus, loco omnium bonorum, quibus abundaret, plus duxisse (id est, aestimasse), si magni illius (nempe *Gregorii thaumaturgi*) consuetudine frui, et laborum, divinaeque illius philosophiae atque eruditionis una cum illo participi sibi esse liceret. » Porro de hoc miraculo translato a s. *Gregorio thaumaturgo* ingentis illius saxi neque sagacissimi et acerrimi critici *Tillemont*, *Baillet*, etc. dubitant, et *Bullus* unus e doctissimis protestantibus de eodem

*et circumdabunt te inimici tui vallo... et coangustabunt te undique, et ad terram prosternerunt te, etc.*: praedixit *Petro* trinam negationem, postea re ipsa factam. Matth. c. 26, v. 34, 70, 72, 74. Taceo plures alias Christi praedictiones, reapse impletas.

(3) Réponses critiques tom. 5, n. 49.

(4) Tom. II de vita s. *Gregorii Thaumaturgi*, pag. 982, edit. Paris. ex officina Niveliana, 1715.

miraculo (1) dicit: Neque incredibile cuiquam videri debet, tale quidpiam homini accidisse, cuius totam vitam revelationibus, et miraculis illustrem fuisse scriptores ecclesiastici omnes, quotquot eius meminerunt (et quis fere non meminit?) uno ore testantur. » II. Aliud simile miraculum viva fide venerabilis abbas *Nonnosus* patratum narrat *s. Gregorius M.* (2) dicens: « De vicino nunc loco... aliquid narabo, quod et viri venerabilis *Maximiani* episcopi, et *Laurionis*... veterani monachi, qui uterque nunc usque superest, relatione cognovi... Quia vero eius (*Nonnosus* praepositi) monasterium in summo montis cacumine situm est, ad quemlibet parvum hortum fratribus excolendum nulla patebat planities; unus autem brevissimus locus in latere montis excreverat, quem ingentis saxi moles naturaliter egrediens occupabat. Quadam vero die, dum *Nonnosus* vir venerabilis cogitaret, quod saltem ad condimenta olerum nutrienda locus idem aptus potuisset existere, si hunc moles saxi illius non teneret, occurrit animo, quod eandem molem quingenta bo-um paria movere non possent. Cumque de humano labore facta esset desperatio, ad divinum se solatium contulit, seque illic nocturno silentio in orationem dedit. Cumque mane facta ad eundem locum fratres venirent, invenerunt molem tantae magnitudinis ab eodem loco longius recessisse, suoque recessu largum fratribus spatium ad excolendum hortum dedisse. » III. Teste *Cornelio a Lap.* (3) narrat *Paulus Venetus* in *Tartaria* montem apud tartaros fuisse simili fide translatum, cum tyrannus id exigeret a christia-

(1) Defens. fid. nic. p. 249.

(2) Dialog. l. 1, c. 7.

(3) Comment. in Matth. c. 17, v. 19.

nis ex illo (Matth. 17, v. 19) Christi promisso. Idipsum teste *Bullet* (4) etiam confirmat *dom. Jacob le Fevre* disserens de illis Christi verbis: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, etc.* Nam inter alia ait: *Legi in quadam historia tartarorum, in qua sic habetur: Prope Baldacem mons virtute divina translatus est oratione cuiusdam sancti viri, cum impropereant tartari christianis id evangelii: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, etc.*

SCHOLION. Etiam si in historia ecclesiastica nullum eiusmodi exemplum translatis miraculose per fidem montis extaret, inde concludi non posset, nullum tale patratum esse. Neque enim omnia scripta sunt, quae fuere gesta, praesertim primis ecclesiae et evangelicae praedicationis temporibus. Certe ipse *s. Iohannes* (5) fatetur, quod multa quae fecit *Iesus* silentio praetereat. Denique si etiam ab initio ecclesiae christianae usque ad nostra tempora nullus unquam christianus fide sua montem transtulisset, an inde legitime inferri posset, quod ne quidem ullus montem ita transferre potuerit? aut nullum unquam habuisse fidem, sicut granum sinapis? nequaquam. Apostoli enim, et alii sancti mortuos ad vitam suscitaverunt. Resuscitatio autem mortui ad vitam est certe maius miraculum quam translatio montis e loco in locum. Ergo habuerunt fidem, qua montem transferre potuissent, quia maius patrare miraculum, nempe mortuum ad vitam revocare potuerunt. At fortassis dices: Si montem transferre potuere, cur non actu transtulerunt? Respondeo, quia non erant in talibus circumstantiis, ubi

(4) Loc. cit.

(5) Ioan. c. 21, v. 25.

necessitas vel utilitas ecclesiae postulabat, ut hoc miraculum patrent. Extraordinariae enim gratiae dantur, ut *s. Paulus* (1) ait, ad utilitatem, non ad pompam seu ostentationem.

198. AD SECUNDUM dico, turpiter falli et fallere illos incredulos, qui teste *cl. Bullet* (2) ita arguantur: Quotidiana experientia discimus, inquit, falsum esse illud Christi (3) effatum: *Qui vivit et credit in me non morietur in aeternum.* Christiani enim aequo moriuntur, ac alii homines. Verum nego suppositum, quod in hoc textu verba illa *in aeternum* hunc sensum, quem increduli ei affingunt, faciant: *nunquam morietur morte corporali.* Si enim *Christus* hoc dicere voluisset, superflua addidisset verba *in aeternum*; quia id, quod haec verba significant iam continetur in solis verbis: *non morietur.* Haec enim ita illimitate prolata, significant idem ac *nunquam morietur.* Accedit, quod si *Christo* affingitur sensus verborum modo dictus, scilicet quod dicere voluerit: *Qui credit in me nunquam morietur morte corporali,* eidem absque ullo fundamento attribuitur manifesta contradictio, cuius nullus homo probus, et sanae mentis capax est. *Christus* enim alibi (4) aperte apostolis et fidelibus suis praedicat, ipsos a persecutoribus suis occidendos. Igitur verba illa *Christi: qui vivit et credit in me non morietur in aeternum,* non habent hunc sensum *nunquam morietur, sed non morietur in perpetuum,* hoc est, uti orthodoxi inter-

(1) I. Cor. c. 12, v. 7.

(2) Réponses critiques, tom. 2, n. 51.

(3) Ioan. c. 11, v. 26.

(4) Sic Matth. c. 10, v. 17, et seq. ait: *Caveat autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos... Tradet autem frater fratrem in mortem et pater filium; et insurgent filii*

pretes communiter (5) exponunt, non manebit in morte, sed suscitabitur ad vitam beatam, seu ad aeternum in coelis vivendum. Agit enim *cit. loc.* *Christus* de resuscitando *Lazaro*, et probat se esse resurrectionem et vitam, id est, causam resurrectionis et vitae omnibus fidelibus et sanctis. Unde quasi dicit: *Ego* eos, qui in me credunt, et iuxta hanc fidem pie vivunt, in vita aeterna conservabo, faciamque ut non moriantur in aeternum, quia licet ad modicum tempus, et debito naturae moriantur, tamen suo tempore a morte eos suscitabo ad vitam aeternam, ita ut non tam mortui fuisse, quam dormiisse videantur.

SCHOLION. Licet infideles et impii resurrecturi quoque sint ad vitam: tamen quia resurgent ad tormenta gehennae etiam in corpore aeternum sustinenda, hinc vita eorum potius mors dicenda est, quam vita.

199. AD TERTIUM observo, quod anonymus ille scriptor, de quo iam saepius (6) mentionem fecimus, in dubiis suis *dom. Christophoro de Zabuesnig* propositis, postquam illa *Christi* verba: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis in regno suo,* recitavit, impio sarcasmo dicat: *Datur ne senex tot annorum, qui septendecim saecula curriculo suae vitae expleverit? Nonne alicui hic in mentem venire debet (le juif errant) iudaeus perpetuo circuitu terram obambulans?* Quibus verbis innuit, se citatum

in parentes, et morte eos afficient. Et iterum Matth. c. 25, v. 34: *Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, etc.*

(5) *S. Chrysostom., Cyrill., Theophylact., Cornelius a Lap. Tirinus, etc.*

(6) Vide supra num. 169.

Christi effatum de secundo eiusdem adventu intelligere, et mirari, quomodo de Christi discipulis tunc, quando Servator verba illa dixit, praesentibus aliquis adhuc in vita superstes esse possit in fine mundi, quando Filius hominis in maiestate sua veniet iudicaturus orbem?

Sed haec admiratio mox cessasset, si adversarius cogitasset (pro-ut in orthodoxis interpretibus facile reperire poterat), quod communis (1) et vera interpretatio citati textus sit de transfiguratione Domini, quam non omnes, sed soli *Petrus, Iacobus et Ioannes*, antequam morerentur, viderunt, et quam post illa Christi verba tam *Matthaeus* (2), quam *Marcus* (3), et *Lucas* (4) immediate narrant, et post aliquot dies (5) ab illis Christi verbis, seu promissione elapsos factam esse testantur. Igitur sensus huius textus: *Sunt quidam de hic stantibus, etc.* est iste: *Sunt quidam ex iis qui hic sunt, qui non morientur, donec videant Filium hominis in regno suo, sive (ut s. Leo M. sermon. LI al. 94 de transfiguratione exponit) in regia claritate, nempe in transfiguratione. In hac enim regnum Chri-*

(1) Sic enim hunc s. Scripturae locum interpretantur s. *Hilarius*, s. *Chrysostomus*, s. *Ambrosius*, *Theophylactus*, *Euthymius*, *Cornelius a Lap.*, *Tirinus*, *Menochius*, et alii passim.

(2) Vide *Matth.* cap. 16, v. ultim. et cap. 17, v. 1, et seqq.

(3) Vide *Marc.* c. 8, v. ult. et cap. 9, v. 1 et seqq.

(4) Vide *Luc.* c. 9, v. 27, 28, et seqq.

(5) *S. Matthaeus* c. 17, v. 1, inquit, post dies sex ab illa promissione factam esse transfigurationem; s. *Lucas* vero c. 9, v. 28, ait: *Factum est autem post haec verba (promissionis) fere dies octo; neque id o contradietis s. Matthaeo et Marco.* Ad hanc enim apparentem antilogiam, s. *Hieronymus* comment. in *Matth.* c. 17, v. 1, respondet: *Facilis est solutio, quia hic (apud Matthaeum et Marcum) medii ponuntur dies, ibi (apud Lucam) primus*

sti gloriosum quasi per transennam viderunt et praegustarunt praedicti tres apostoli, eisque Christus tunc dedit specimen gloriae, claritatis, magnificentiae, gaudii, et felicitatis, quam obtinebunt sancti in regno coelesti, ut per illam animarentur ad labores et dolores evangelicos, ad crucem et martyrium, aliosque ad eadem hortarentur.

200. AD QUARTUM. R. et dico, illa Christi verba: *non relinquent (hostes) lapidem super lapidem*, non debere adeo stricte sumi, ac si singuli lapides a se invicem separati fuissent; sed est hyperbole, quasi diceret: *Ierusalem funditus excindetur et diruetur.* Neque enim (ut *Cornelius a Lap.* in hunc locum recte observat) tam curiosi vel otiosi fuere romani milites in excidio Hierosolymae et templi, ut singulos lapides a se invicem dissolverent; fuit tamen Ierusalem a romanis incensa et plane eversa, ac solo aequata, imo aratrum in eam immissum, teste *Maimonide* (6) et aliis: et hoc est quod Christus significat his verbis, *non relinquent lapidem super lapidem.* Verum ad praeoccupandas incredulorum obiectiones ex

additur et extremus. Igitur *Matthaeus* et *Marcus* non numerant primum diem, quo Christus verbis illis, *sunt quidam de hic stantibus, etc.* promisit transfigurationem, quia incipiendo a tempore illius promissionis non erat integer dies, nec ultimum seu octavum diem, quo transfiguratus est, sed tantum sex intermedios, *Lucas* vero omnes numerat tam plenos, quam non plenos seu imperfectos dies; idcirco non ait: *post dies octo*, sed fere hoc modo: *Factum est autem post haec verba fere dies octo, et assumpsit Petrum et Iacobum, et Ioannem, etc.* Porro apparentem antilogiam evangelistarum, quam modo solvimus, eundem in modum etiam solvunt s. *Chrysostomus*, *Euthymius*, *Theophylactus*, et s. *Augustinus* l. 2 de consensu evang. c. 56.

(6) *Maimonides Tanith.* c. 5.

historia et descriptionibus hodiernae Hierosolymae petitas, sequentia argumenta, quae contrarium probare videntur, solvenda sunt.

201. OPPONES I. *Rabbi Benjamin Tudelensis*, natione hispanus, qui omnes tres partes veteris orbis peragravit, et omnia quae memoratu digna reperit, scripto annotavit, in suo itinerario (1) quod saeculo XII conscripsit, in descriptione Hierosolymae testatur, quod etiamnum reliquiae de turre David et templi, imo ipsius sanctuarii extant: ergo haec aedificia veteris Hierosolymae adhuc saeculo duodecimo residua falsam demonstrant illam Christi praedictionem: *Non relinquetur lapis super lapidem.* CONFIRMATUR. Ipse etiam *Iosephus* (2) testatur, *Titum* aliqua Hierosolymae veteris aedificia reliquisse illaesa, his verbis: « Iubet eos (milites romanos) *Caesar* (*Titus*) totam funditus iam eruere civitatem ac templum; relictis quidem turribus, quae praeter alias eminebant, *Phasaelo*, et *Hippico*, et *Mariamne*: murique tantum, quantum civitatem ab occidente cingebat. Id quidem ut castra essent militibus illic praesidii causa relinquendis: turres autem, ut posteris indicarent qualem civitatem, quamque munitissimam romanorum virtus obtinisset. » Ergo.

R. *Dom. Baratier* ob vastam suam eruditionem notissimus, teste cl. *Bullet* (3), opus edidit, quo manifeste demonstrat, itinerarium illud *R. Benjamin Tudelensis* esse mere imaginarium, et fabulosis contradictionibus, et apertis contra

geographiam ac historiam falsitatibus repletum. Idem testimonium de eiusdem rabbi itinerario perhibet *Universale Lexicon Lipsiense* (4) his verbis: « De libro ipso (nempe de itinerario dicti rabbi) eruditi consentiunt, quod plurima absurda, fabulosa, et improbabilia in illo reperiantur. Perquam copiosa adduci possunt exempla, quae vel nimiam credulitatem, vel alii praeiudiciis occupatum auctoris animum produunt. » Dein in memorato lexico recensentur aliquot eiusmodi exempla. Quare increduli ex itinerario dicti rabbi nullum probabile argumentum contra praedictionem Christi Domini petere possunt. Ad CONFIRMATIONEM dico: Quamvis sub *Tito* aliqua aedificia, ut *Iosephus* loc. cit. narrat, Hierosolymae manserint illaesa; tamen brevi postea secundo ecclesiae saeculo sub *Hadriano* Caesare fuere diruta, et sic vaticinium Christi de perfecto Hierosolymae excidio fuit plene impletum. Cum enim iudaei sub *Hadriano* imperatore (5) contra romanos seditionem excitarent, *Hadrianus* misso in Palaestinam exercitu multos iudaeorum interfecit, eorum propugnacula et oppida devastavit, turres et reliquias muri, quas *Titus* non evertit, diruit: unde *Appianus* synchronus *Hadriani* scripsit, Hierosolymam suo tempore postremum fuisse dirutam, his (6) verbis: *Quam* (Hierosolymam) *et Vespasianus rursus munitam diruit; et postremum Hadrianus nostro tempore.* Nam nihil in hac urbe diruendum restabat, nisi illae turres, et reliquiae muri, quae

(1) Itinerarium *R. Benjamin Tudelensis* cum notis *Constantini l'Empereur* fuit *Lugduni Batavorum*, an. 1655, latino idioma editum, et postea tom. 3 *Theauri antiquitatum hebraicarum* insertum.

(2) L. 4 de Bello iudaico, c. 1.

(3) Réponses critiques tom. 5, n. 48.

(4) Tom. 45, pag. 1461.

(5) Dio de regno Athen.

(6) *Appianus* in romanorum historia I. de bellis syriacis p. 80, edit. Basileens. an. 1554.